BIBLIA LATINA, BD. 2
Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh. Seite 195r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



filii dei uocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam quoniam ipsorum est regnum celorum. Beati estis cum maledixerint uobis homines et persecuti uos fuerint et dixerint omne malum aduersum uos mentientes propter me. Gaudete et exultate quoniam merces uestra copiosa est in celis. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante uos. Vos estis sal terre quod si sal euanuerit in quo salietur. Ad nichilum ualet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Vox estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita neque accedunt lucernam et ponunt sub modio sup candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideant uestra bona opera et glorificent patrem uestrum qui in celis est. Nolite putare quoniam ueni soluere legem aut prophetas. Non ueni soluere legem sed adimplere. Amen quippe dico uobis donec transeat celum et terra iota unum aut unus apex non preteribit a lege donec omnia fiant. Qui ergo soluit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines minimus uocabitur in regno celorum. Qui autem fecerit et docuerit sic homines hic magnus uocabitur in regno celorum. Dico autem uobis quod nisi habundauerit iusticia uestra plusquam scribarum et pharisaeorum non intrabitis in regnum celorum. Audistis quia dictum est antiquis. Non occides. Qui autem occiderit reus erit iudicio. Ego autem dico uobis. Quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue fratri suo reus erit gehenne ignis. Si ergo offers munus tuum ante altare et recordatus ibi fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te relinque ibi munus tuum ante altare et uade prius reconciliari fratri tuo et tunc ueniens offerens munus tuum. Esto consentiens aduersario tuo cito dum es in uia cum illo ne forte aduersarius tradat te iudici et iudex tradat te ministro et in carcerem mittaris amen dico tibi non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis. Non mechaberis. Ego autem dico uobis quoniam omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam iam mechatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te erue eum et proice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus scandalizat te ab

195